Chr. Hellwig

Herrn Professor Riemann
vom Verfasser.

OBSERVATIONES CRITICAE
IN
C. CORNELII TACITI AGRICOLAM.

QUIBUS EDITIS

ACTUS SOLEMNES

IN

GYMNASIO REGIO CURIANO

D. XXXI. AUG. MDCCCXXVI

RITE HABENDOS

COLLEGII PROFESSORUM NOMINE

INDICIT

CHRISTIAN. FRID. GEORG. CHRISTOPH.
SELLING
PHILOS. DOCTOR ET GYMNASII PROFESSOR.

CURIAE REGN.
TYPIS MINZELIANIS.

1826

Observationes criticae
in
Taciti Agricolam.

Cap. III. — *quamquam primo statim beatissimi saeculi ortu Nerva Caesar res olim dissociabiles miscuerit, principatum ac libertatem, augeatque quotidie facilitatem imperii Nerva Traianus; rel.*

Editiones veteres fluctuant inter *facilitatem*, *falicitatem*, *felicitatem*; codex Vaticanus habet *felicitatem temporum.* Lectio *facilitas imperii* cum Ernestio, Doederl., Dronkio, aliis pro vera habenda; vide Dronk. ad h. l. *Facilitas* eadem significatione legitur c. 6. 9. Ann. VI, 15. XI, 28. Tacitus, priora, quae etiam sub Trajano vehementissime desiderabat, libertatis tempora cum suis comparans, non de felicitate neque imperii Romani neque temporum, sed de facilitate, lenitate imperii singularis sive monarchiae, quam vocant, loquitur, quam, ut cujusque principis erant mores, modo *principatum*, modo *imperium*, modo *dominationem* nominat. Ut Hist. I, 1. „*principatum divi Nervae et imperium Traiani*", sic nostro loco haud inconsulte Nervae summam potestatem *principatum*, Trajani *imperium* adpellat. Principatum baro quilibet atque imbecillis homo obtinere potest („plerique principes, quum essent civium domini, libertornm erant servi." Plin. Pan. 88.), sed imperium penes eum est, qui ipse, suo ipsius judicio

arbitrioque utens rempublicam, quatenus ad eum pertinet, administrat. Nervae seni vim defuisse imperandi, historia testatur. U. I. H. Becker V. D., novissimus huius libelli editor, scripturam cod. Vat. in textum, quem vocant, recepit, sed argumenta ejus inani nituntur fundamento. Cum aliis multis falso opinatur, Tacitum vivente Nerva hanc vitam edidisse. Nerva m. Jan. anni 96 p. Chr. principatum accepit, et jam m. Jan. anni 98, Trajano paucis ante mensibus adoptato, mortuus est. (Heeren Hdb. d. Gesch. d. Staaten d. Alt.) Tacitus igitur, meo quidem sensu, non scripsisset: *primo statim beatissimi saeculi — miscuerit*, sed: *quamquam Nerva Caesar res olim dissociabiles misceat*; deinde Trajani prorsus non fecisset mentionem, ne tum quidem, ni fallor, si m. Nov. vel Dec. anni 97 post adoptationem scripsisset; tum, primo vel secundo anno post Domitiani mortem nondum dixisset, quae paulo infra legimus: „tardiora sunt remedia, quam mala, — ingenia studiaque oppresseris facilius, quam revocaveris;» denique, quod unum hunc errorem refellit, Tac. non dixisset c. 44. Nerva praetermisso »Nam sicuti durare in hac beatissimi saeculi luce, ac principem Trajanum videre, quod augurio votisque apud nostras aures ominabatur.» Ibi rectissime Dronke: «Ceterum non puto Agricolam credidisse, Trajanum principem a se visum iri, sed omnino meliorem principem auguratum esse atque exoptasse et sibi et suis.» Quamquam hanc vitam non cum Doederl. V. D. ultimam, sed ante Historias et Annales Tacitum scripsisse atque edidisse existimo, persuasissimum tamen habeo, eam non ante annum centesimum p. Chr. esse scriptam. Trajanus anno demum 99 Imperator Romam venit ex Germania, et Tac., quem nullo pacto adulatorem cogitare licet, et qui bene sciebat, id quod etiam nuperum Domitiani exemplum docuerat, vel pessimos principes primo imperio bonos nonnunquam esse, certe videri, hanc ex ore ejus maximam laudem non tribuiseet Trajano, nisi ille per majus temporis spatium dignissimum ea se praebuisset. „Etenim memini, tunc verissime judicari, meruerit quis honorem, nec ne, quum adeptus est.“ Plin. Pan. 95. Trajanus jam antea quidem conspicuus erat dux militum, sed aliud est bonum militem, aliud bonum principem esse.“ Enituit aliquis in bello sed obsolevit in pace.“ Plin. Pan. 4.

Cap. V. *Nec Agricola licenter more iuvenum, qui militiam in lasciviam vertunt, neque segniter ad voluptates et commeatus titulum tribunatus et inscitiam retulit*; rel.

„Commatis signum, quo haec verba interpungi solent, tollendum est, et omnia bene se habent, licet durior sit vocabulorum ordo; nam jungendum est: ad voluptates et commeatus et inscitiam titulum tribunatus retulit.» Becker. Dii meliora! nusquam Tac. hujusmodi vocabulorum collocationem sibi permisit. Multo melius Bloch V. D. „nec segniter, negligenter, militarem operam navavit, titulum trib. aut inscitiam rei militaris praetexens, quo sibi magis vel voluptatibus perfrui vel ab exercitu abesse liceret.“ eundem sensum expresserunt Schlueter, Dureau de la Malle; qui et ipsi non viderunt, *inscitiam* ad *tribunatus* esse referendum, ut Ann. I, 1. *inscitia reipublicae.* Unus Valeriani (Opere di C. C. Tacito volgarizzate da Lodovico Valeriani. Pavia 1810. 3. Vol. 8°) recte intellexissse videtur, vertens: Nè licenziosamente Agricola, siccome sogliono i giovani, i quali volgono la milizia in dissolutezza, nè codardamente si giovò della inesperienza e del titolo di Tribuno per divagare in piaceri. Haec verborum collocatio saepe in fraudem duxit interpretes. C. 1. „ignorantiam recti et invidiam,“ quod omnes, quorum conversiones inspexi, *male* vertunt. Barth: Neid u. Unwissenheit, Schlueter: Stumpfsinn u. Neid, Doederl.: Blindheit gegen Sittliches und Neid, la Malle: la sottise et l'envie; alii eodem fere modo; ipse Valeriani: la sconoscenza del ben oprare e l'invidia. Quod si dicere voluisset Tac., profecto scripsisset *vitia*, non *vitium*. Ignorantiam et invidiam (*Hass* non *Neid*) recti, quarum altera causa, altera effectus sit, ut unam rem vitium vocat parvis magnisque civitatibus commune. Per me dicas, figuram Hendiadyoin esse, invidia recti ex ignorantia ejus nata. Germ. 43. „vertices montium jugumque.“ 46. „ora hominum vultusque.“ eod. cap. „sordes omnium ac torpor, procerum connubiis rel.“ (ut Im. Bekker interpunctionem recte restituit. Passow: „Primus Rhenanus post *torpor* incisum collocavit: male: quid enim connubia procerum ad populum?“ Quasi proceres non sint pars populi, neque plebes multis in rebus eos imitetur. Altenburg: „Mit Recht interpungirt Passow nach procerum -- weil sonst

torpor kein Bestimmungswort haette, das dem omnium entsprach."!!) Hist. I, 60. „contemtus exercitui invisusque." 71. „stupra concubinarum et oscula." III, 45. „libido reginae et saevitia." Ann. I. 44. „saevitia facti et invidia." VI, 21. „positus siderum ac spatia." (Cic. Tusc. IV. 7. „metus (efficit) recessum quendam animi et fugam.") — Ne nostro loco genitivus simul subjectivus et objectivus offensioni tibi sit; H. I, 22. „peritia et monitu fatorum."

Cap. VI. *vixeruntque mira concordia, per mutuam caritatem et invicem se anteponendo; nisi quod in bona uxore tanto maior laus, quanto in mala plus culpae est.*

Ultimum periodi membrum primo adspectu contra animi leges dictum videtur. In bona uxore major laus est, quam in bono marito. Quam ob rem? Num forte quod natura debilior majore contentione, quam maritus, ad virtutem perveniat? at vero tum in mala plus culpae esse non potest, debilitati ignoscendum. Si contra in mala plus culpae est, quam in malo marito, quod natura mitior, moderatior, a consuetudine multorum hominum, a rebus publicis remota vivens, vehementioribus animi motibus minus obnoxia sit, tum in bona major laus esse non potest. Aut dicendum fuit: nisi quod in bona uxore tanto major laus, quanto in mala minus culpae est, aut: nisi quod in bona uxore tanto minor laus, quanto in mala plus culpae est. Talia fere perpendisse videntur Pichena, Lipsius, Gronovius, quum pro *maior* scripserunt *minor*. Scheffer, quocum Becker facit, „tanto major, inquit, laus est, si maritus bonam uxorem colit, sibi anteponit, quanto turpius est, id facere in mala, cum hominem mulierosum indicet et imperiosam mulierem." Quae explicatio prorsus improbanda est. Primo non satis convenit verbis *nisi quod*, quae correctionem sententiae praecedentis in contrarium indicant, ut Ernest. observavit. Deinde, ne quis *laus* ad *in uxore* referret, vocem *marito* non omisisset noster, cujus oratio brevis quidem est, et ob hanc brevitatem hic illic, nisi corruptela insit, primo tantum obtutu, obscura, sed nusquam vaga, nusquam am-

bigua. Denique, ut haec omnia missa faciamus, Tac. hanc sententiam expressurus dixisset: nisi quod in bona uxore laus, in mala culpa est. Quid sibi vult *tanto maior, quanto plus?* Dronke rectissime: „Laus, quae ex mira illa concordia et mutua caritate nascebatur, utrique, et Agricolae et Decidianae, pariter magna, nisi quod in bona uxore, ut Decidiana, major laus virtutis est, quam in bono viro, ut in Agricola, et tanto quidem major, quanto in mala femina plus culpae est, quam in viro malo." At cur ita? qua ratione contradictio supra monstrata tollitur? Num his ejusdem verbis: „Feminis enim peccantibus semper plus culpae imputatur, quam viris; quare (?) bonis feminis major laus tribuenda est, quam viris."? praeclara conclusio! Eandem sententiam expressit la Malle: Ils vécurent dans l'union la plus intime; ils se chérissaient mutuellement, et se préféraient chacun à soi-même: union bien admirable, dans la femme sur-tout dont il est d'autant plus juste de louer les vertus que ses vices essuient plus de reproches. — Quos locos ex poët. gr. laudat Dronke, prorsus non ad nostrum locum faciunt. Nescio unde exscripsi: Hr. F. P. in d. Jen. Lit. Zeit. Nro. 166. p. 387. Sept. 1817 vermuthet: Beide (Mann und Frau) ertheilen sich gegenseitig den Vorzug, der aber doch objectiv genommen, nicht unentschieden bleibt; sondern der Domitia Decidiana zugesprochen werden muss. *Denn beide waren zwar sehr* gut, und in sofern einander gleich: aber es liegt in der Natur des weiblichen Geschlechtes, sowohl im Guten, als auch im Bösen, das männliche zu übertreffen. — Hanc (Passovii?) interpertationem assequi non possum. *Anteponere* pro *laudare* accepisse videtur. At vero non verbis inanibus et dulciculis, ut multi nostri saeculi homines, sed factis invicem se anteposuerunt, primasque invicem sibi in omnibus rebus domesticis concesserunt. Postrema sententia: aber es liegt rel., quam alii quidam cupide arripuerunt, tantum abest, ut lucem afferat nostro loco, ut spissa caligine eum abruat. Nimirum prorsus contrarium ejus, quod dixit, dicendum fuisset Tacito. (Agricola ejusque uxor pariter boni fuerunt,) nisi quod in bona uxore (quum bona uxor melior esse soleat, quam bonus maritus) tanto minor laus est, quanto in mala (si pariter mali sunt,) minus culpae est (quum mala uxor peior esse soleat, quam malus maritus). Admittenda etiam esset haec interpreta-

tio, si Tac. dixisset: nisi quod bona uxor tanto melior, quanto mala peior est. — Num forte ex iis, quae hactenus dixi omnia, sequitur, vere dictum esse ab Ernestio: „Sed est haec sententia ex eo genere, quod facile in varias partes trahi interpretando potest, ut difficile sit, aliquid certi reperire.»? minime gentium. Lectores quidem aliquamdiu haerere possunt, verum scriptor, siquidem bonus est, ut est noster, semper aliquid certi cogitavit atque enuntiavit. — Adhibeamus nostro loco ex mathematica doctrinam magnitudinum oppositarum vel ex philosophia naturae polaritatis, quam vocant, legem, et luce splendebit clarissima. Natura et, quae accurate pieque eam sequebatur, antiquitas nullam a feminis postularunt virium, quas mediocres habeant, contentionem, qua et ad virtutem et ad vitia prodenda opus est; virtutem (a *viro*) non postularunt, vitia non permiserunt. Si bonum et malum , virtutem et vitia, tanquam polos oppositos, qui re vera sunt, cogitamus, feminis medium inter eos, punctum indifferentiae, quod vocant, assignatum est. Viri autem ad agendum nati, in illo medio stare non possunt, neque debent. Perpetuo multorum hominum usu, commercio, certamine implicati, majoribus et corporis et animi viribus, campum, in quo se exerceant, flagiantibus, natura instructi, ut cujusque est indoles, fortuna, voluntas, alii dextra, alii sinistra, alii modo dextra modo sinistra de illo indifferentiae puncto declinant. *Uxori* igitur, quae, medio relicto, ad eundem virtutis gradum, ad quem maritus, pervenit, major tribuenda est laus, quum, quod postulari non potest, praestet; in femina contra, quae, medio relicto, ad eundem vitiorum gradum, ad quem vir, aberravit, plus culpae est, nimirum in feminis non ea, quae in viris, admittenda est excusatio. Agricola igitur et Domitia pariter boni fuerunt, sed tanto major laus in Domitia, quanto plus culpae in femina, quae pariter mala est ac malus maritus. Sic Ann. XV. 63. Seneca uxori: „Sit hujus tam fortis exitus constantia penes utrosque par, claritudinis plus in tuo fine.»

Eod. cap. *Ludos et inania honoris moderationis atque abundantiae duxit, uti longe a luxuria ita famae propior.*

Cod. Vat. exhibet *medio rationis*, edd. vett. *modo rationis*; neutrum un-

quam, si quid video, quod ad latinitatem, defendi poterit. Cod. Vat. scripturam nuperrime Becker conatus est tueri. Vocem *medio* idoneis exemplis munivit. At vero unde pendet ablat.? V. D. *habenda* clam supplevit, dicens: »media inter rationem et abundantiam ludos et inania honoris habenda esse duxit, seu putavit.« Cur non alterum attulit exemplum huiusmodi ellipsis? Doederl. quoque *facienda esse* supplendum censet, sed locis parum aptis sententiam suam studet firmare. C. 27. „sed occasione et arte ducis rati" nihil probat, ibi *factum* supplendum, quod participium saepius omittitur, (vide infra ad c. 19.); C. 33. Broterio hoc loco fidem habendam censeo legendumque: *quamquam laetum et vix munimentis coërcitum militem accendendum adhuc ratus, ita disseruit.* (Cave *quamquam* ad *ratus* referas. Cf. Ann. III, 46. „etsi praesumpta spes hortandi caussas exemerat, clamitabat tamen rel:" Hist. IV, 57. „audendum ratus — disseruit." Ann. IV, 37. „respondendum ratus — orationem coepit." VI. 37. „ostentasse — ratus monet.") Sive *modo* sive *medio* legis, incides in *ludos ducere*, quod latine non dici omnes consentiunt. Hac quidem parte Lipsii conjectura supra transscripta *moderationis atque abundantiae* non laborat, verum ut bona sententia eliciatur, confugiunt ad Cic. de Off. II, 15. seqq. ubi iis, qui per famam atque auram popularem amplissimos dignitatis gradus adipisci cuperent, praecepit, in ludis edendis medium tenendum esse inter effusionem et avaritiam. — At de hoc Ciceronis praecepto observando non potuit cogitare Agricola. Ciceronis temporibus vetus respublica, etsi ruinae proxima, stabat tamen adhuc; jus ac potestas creandi magistratus penes populum erat; civium gratiam sibi conciliasse maximi erat momenti maximamque poterat afferre utilitatem. Temporibus autem Agricolae („gnari sub Nerone temporum, quibus inertia pro sapientia fiunt") plane nulla supererat libertas, ne principatus quidem Nerone dominante; jus creandi magistratus populo ademtum erat (Lips. Excurs. ad Ann. I, 15, Beaufort Republique Romaine L. 3. c. 6. Plin. Pan. 70. 92.); postremo civium studia in se vertere periculosum erat, sub Nerone capitale. (Ann. XIV, 52. „Hi variis criminationibus Senecam adoriuntur — quodque studia civium in se verteret.") Cicero, quamquam dixerat, Off. c. 16. „intelligo in nostra civitate inveterasse, etiam a bonis temporibus, ut splendor aedilitatum ab optimis viris postuletur," prae-

cepit tamen c. 17. „causa igitur largitionis est, si aut necesse est aut utile. In his autem ipsis mediocritas regula optima est.“ Paulo post „Tota igitur, inquit, ratio talium largitionum — genere vitiosa est, temporibus necessaria; et tamen ipsa et ad facultates accomodanda et mediocritate moderanda est.“ Agricolae temporibus caussae istae necessitatis non amplius aderant, neque ullus bonus, opinor, illas largitiones postulabat. — Tacitus ipse non ut philosophus ludos inania adpellat honoris, sed ut Romanus prisca fide et virtute ac prisco libertatis amore, summo cum dolore respiciens priora tempora, quibus ludi nondum erant inania honoris; ergo non potuit putare, in rebus inanibus medium tenendum esse inter moderationem et abundantiam. Quid? quod Agricolam illud medium revera non tenuisse, manifesto patet ex eo, quod sequitur: „uti longe a luxuria ita famae propior.“ i. e. *etsi* longe a luxuria, famae *tamen* apud bonos propior. (Ann. III, 43. *ut* nondum aperta consensione, *ita* viritim promtis studiis rel.) Quid ergo? Tacitus, socerum excusaturus, qui fortasse pro mediocribus suis fortunis (vide ad c. 44.) solito parcius dederat ludos (quamquam pars impensae ex aerario sumi solebat), dicere voluisse videtur, illum ludos inania habuisse honoris, ideoque rem moderationis *non* abundantiae duxisse. Jam Colerus *neque* voluit pro *atque* — Quibus rebus adductus suspicor scriptum fuisse *moderationis quam abundantiae. Quam* per compendium scriptum, librarius, hunc loquendi modum fortasse ignorans, pro *que* habuit, quod, quum hic locum habere non posset, in *atque* mutavit. Locus semel corruptus deinde, ut fieri solet, etiam magis corruptus est. — En habes omnia hujus ellipticae loquendi formae exempla apud Tacitum. Germ. 6. „cedere loco — consilii quam formidinis arbitrabantur.“ Ann. 1, 58. „pacem quam bellum probabam.“ III, 17. „miseratio quam invidia augebatur.“ ib. 32. „honori quam ignominiae habendum ducebat.“ IV. 61. „claris majoribus quam vetustis.“ V, 6. „ne memoriam nostri per moerorem quam laeti retineatis.“ XI, 25. „mitem et recens repertam, quam ex severitate prisca, rationem adhibuit.“ Hist. III, 60. „legiones opperiebantur ut praedae quam periculorum socias.“ IV. 55. „hostes populi Romani quam socius.“ ibid. 76. „verba et conciones quam ferrum et arma meditantes.“ ib. 83. „voluptatum quam religionum appetens.“ V, 5. „corpora condere quam cremare.“ Et his locis et omnibus, quos apud

alios

alios scriptores reperi (uti Liv. I, 25. III, 40. Sallust. Cat. 8. Nep. Dat. 8 Paterc, II. 129.), non *magis* omissum est, ut plurimi VV. DD. putant, sed *potius*; de comparatione minime cogitandum est, alterum affirmatur, alterum negatur. Ramshorn §. 155, 6) Not. 2. in omnibus, quae affert, exemplis, recte *potius*, in uno tantum (Ann. IV, 61. vide Lips. ad h. l.) haud necessario *magis* supplet. Usi sunt Romani particulis *potius — quam*, priore modo posita, modo omissa, quum in auditore vel lectore contrariam sententiam viderunt vel conjecerunt; Agr. 1. «fiduciam potius morum, quam arrogantiam arbitrati sunt," i. e. fid. mor. arbitrati sunt, *non* arrogantiam, ut vos hujus saeculi Romani. Qua ratione omnia, quae mihi quidem in notitiam venerunt, exempla sunt accipienda. — Idem statuerim de gr. *μᾶλλον*. Uti Sophocl. Aj. v. 945. (ed. Herm.) *ἐμοὶ πικρὸς τέθνηκεν, ἢ κείνοις γλυκύς*, i. e. *κείνοις οὐ γλυκύς*, ut ipsi opinantur, nam (v. 942) *θανόντ' ἂν οἰμώξειαν ἐν χρείᾳ δορός*. Ne quis laesae majestatis philologae me accuset, minime mihi placent, quae Hermann V. C. disserit ad Viger p. 884. „Speciosissima, quamvis ipsa quoque falsa, ellipsis adverbii *μᾶλλον*, ut *βούλομ' ἐγὼ λαὸν σόον ἔμμεναι, ἢ ἀπολέσθαι*. Nam addito *μᾶλλον* manet difficultas, ut quae non in omissione hujus adverbii, sed in significatu particulae *ἢ* sit. Hoc quum natura sua nihil nisi *an forte* significaret, proprie talia sic intelligebantur; *volo populum salvum esse: an perire volo?*" Sive addito sive omisso *μᾶλλον*, nulla difficultas inest, interpretandum: volo populum salvum esse, quam perire, i. e. *non* perire, ut vos fortasse putatis. Vid. Lamb. Bos de Ellips. gr. ed. Schaef. p. 769. Sanct. Min. ed. Bauer. Vol. II, p. 288 seqq.

Cap. X. *Formam totius Britanniae Livius veterum Fabius Rusticus recentium eloquentissimi auctores oblongae scutulae vel bipenni assimulavere. Et est ea facies citra Caledoniam, unde et universum fama est transgressis.*

Transscripsi scripturam cod. Vat.; in Edd. vett. legitur *transgressus*, quod, quamvis defensum a Doederleinio, ferri non potest. Jnterpretes, qui

utique nolint non haerere in brevitate Corneliana, et audaces Ellipses, quae innumerae sunt in Taciti scriptis, fastidiosi abhorreant, hunc locum misere tractarunt. Ante *universum* inculcarunt *in*, *transgressis* in *transgressa* mutarant. Vel uno exemplo probatum velim, *transgredi* hac significatione recte dici, pro *transire*, *transferri*. Merito haesitant, utrum *facies* an *fama* dicant esse id, de quo dicatur *est transgressa*, sive utrum *fama* ablativus sit an nominativus. — Pro certo habeo, codicem Vat. gemina nobis servasse Taciti verba. Si quis vernacule diceret vel scriberet: „Die Gestalt von ganz Britannien haben die beredtesten Geschichtschreiber, Livius unter den alten, Fabius Rusticus unter den neuern, mit einem länglichen Viereck oder einer Doppelaxt verglichen. Allerdings hat es diese Gestalt ohne Caledonien, daher sind die dort Gewesenen der Meinung, auch das Ganze." quis nostrum non statim teneret videretque omissum esse: habe diese Gestalt? fortasse etiam, si quis nova nostratium vertendi ratione reddidisset: Auch ist jene Gestalt ohne Caledonien, daher auch das Ganze die Sage ist den Hinuebergeschrittenen. Tacitus *eam faciem habere* vel *ea facie esse*, quod ex antecedentibus per se intelligeretur, iterare noluit. *Transgredi* legitimum verbum est de iis, qui trans mare vel trans flumen vel trans montes in terram aliquam venerunt; c. 18. *transgressus Agricola*; c. 24. *nave prima transgressus*. Voci *fama* hic, ut multis aliis locis (vid. indicem in fine Tac. op. ed. Ern.) significatio inest opinandi simul et narrandi, ut saepe apud Caesarem aliosque per figuram ἓν διὰ δυοῖν conjunctim legitur *opinione famaque*. Neque Livius, neque Fabius Rosticus, opinor, in Britannia fuit, et notitia illius insulae ex narrationibus eorum, qui ibi fuerant, haurienda erat. — De ellipsibus, quarum cognitio maximi est momenti ad accuratam Taciteae orationis intelligentiam, uberius atque accuratius me dicere, nec tempus nec locus patitur. Hic igitur et infra c. 19. 27. nonnulla exempla afferre satis habebo. —

Germ. c. 5. „(Germania) pecorum fecunda, sed plerumque improcera." *Improcera* accusandi casus est; ex adjectivo *fecunda* verbum transitivum eliciendum, ut nos, quum dicimus: es ist reich an Vieh, aber meistens kleines, cogitatione supplemus: hat es, bringt es hervor. Similia sexcenties nobis audire licet. Absurde F. A. Wolf (dormitavit Homerus) ad Ann. I,

10. eumque secuti Passow, Hess, Guenther VV. DD. *improcera* ad terram retulerunt. Es ist reich an Vieh, aber es (das Land) ist meistens nicht hoch. Dilthey V. D. huic opinioni merito repugnans male pro nominat. plur. habet; Tac. tum *pleraque* scripsisset, ut voluit Lipsius.

Hist. I, 29. „— alii formidine augentes, quidam minora vero." Ex voce *augentes*, i. e. dicendo augere rem, verbum dicendi eliciendum est, unde pendet accusat. *minora*. Quod minime licet iis (Ernest., Jm. Bekkero, aliis), qui scribunt *formidinem augentes*. Etenim tum *augere* verbum dicendi non comprehendit, denotat solummodo *maiorem reddere*. Guttmann absurde: Einige vergrössern die Furcht, andere verkleinern die Wahrheit. Transferendum fuit: Einige vergrössern die Sache aus Furcht, andere machen sie kleiner, als sie wirklich war; vel brevius, sed obscure: einige vergrössern aus Furcht, andere verkleinern. Haud facile fiet, ut quisquam Cornelianam totius huius loci, ut multorum aliorum, brevitatem vernacule assequatur. Cf. infra ad c. 19. 27. Goerenz. ad Cic. de Fin. II, §. 34. 88.

Eod. Cap. *Dispecta est et Thylē, quam hactenus nix ĕt hiems appetebat; sed mare pigrum et grave remigantibus perhibent, ne ventis quidem proinde attolli.*

Jta legitur et in cod. Vat. et in edd. vett. quod optimum sensum praebet. Editores, quum adverbio *hactenus* alienam notionem subjicerent, varie hunc locum corruperunt. Primam, quam Ern., Seebode, Doederl., Jm. Bekker amplexi sunt, corruptelam Rhenanus induxit *abdebat* scribens pro *appetebat*. Tacitum dixisse volunt: antehac propter nivem et hiemem nemo tam longe septentrionem versus procedere potuit. Num Romana classe adveniente natura illius regionis mutata est? an rationem aliquam excogitarunt, qua istas difficultates superarunt? Profecto non omisisset noster hanc rationem nobiscum communicare. Bipontinorum lectio *quadamtenus* jam ideo ferenda non est, quod, mea quidem sententia, nisi gravissima argumenta id efflagitant, non licet vocem conjiciendo inducere, quae nusquam alibi in scriptore, de quo agitur, occurrat, et quae apud alios haud ita usi-

tata sit. Neque Doederlein, quo auctore Dronke semicolon posuit post *hactenus*, audiendus est; nusquam *magis* omittitur, nisi ubi duae enuntiationes vocabulis *eo* -- *quo*, *tanto* — *quanto* conjunguntur. Vide Ramshorn §. 155, 6, Not. 2. Locus Germ. 6. „consilii quam formidinis rel.“, ad quem provocat Doederl., non huc pertinet; vide supra ad c, 6.

Adverbium *hactenus* nusquam apud Tacitum, fortasse apud nullum scriptorem, significat *adhuc*, *usque ad hoc tempus*. Occurrit Germ. 25. Ann. XII, 42. XIII, 47. XIV, 3. 7 (bis). 51. XV, 60. XVI, 15. — Ann. XIII, 47. „Hactenus Nero flagitiis et sceleribus velamenta quaesivit“ perperam verterunt Barth, Dureau de la Malle, Valeriani (alias translationes inspicere non licuit); Nero usque ad exitum velamenta sceleribus quaesivet; vide Ann. XIV, 64. Agr. 45. -- Nostro loco ut multis aliis elliptica loquendi formula est, idem fere significans, quod *nihil aliud quam*, et vertendum *nur*, *nichts weiter als*. Ad Ann. XIV, 51. „sciscitanti hactenus respondisse“ Ernest. in indice adnotat: „nihil aliud, nisi hoc.“ Eodem modo explicandum Ann. XIV, 3. XV, 60. Cic. Nat. Deor. I. 10. „De quo dicam equidem paullo post: nunc autem hactenus admirabor eorum tarditatem, qui rel.“ Plin. Ep. VII, 6. „Similiter nunc et probatum et exceptum est, quod hactenus non tacui.“ i. e. quod hactenus pro eo dixi, quod non tacui, vel: quod nihil aliud, quam non tacui. Gierig, hunc loquendi modum, ut videtur, ignorans, voculam *non* expunxit. Nostri igitur loci haec est sententia. Dispecta est et Thyle, quae hactenus appetebatur, quod nix et hiems eam appetebant, vel: quam nihil aliud (non naves, non animantia) nisi nix et hiems appetebat. *Appetebat* est *appropinquabat*, vid. Schelleri Lex. De tempore imperf. vide Ramshorn §. 161, II, 2, b) 3). — Becker, ut nunc video, enuntiationem *quam hactenus* rel. recte intellexit, sed di vi ac potestate vocis *hactenus*, quod primum esse debuit, si et aliis probatam voluit interpretationem suam, ne verbo quidem loquutus est. Idem praeter necessitatem correxit *appetebant*; cur non etiam c. 18. *ratio et constantia ducis transvexerunt*? Broeder. §. 126. Ramshorn. §. 96, 2) a). — Idem post *remigantibus* semicolon pinxit, male; et antecedens et subsequens accus. c. inf. pendet a verbo *perhibent*, i. e. dicunt, narrant ii, qui ibi fuerunt, non alii, ut male Doederl.

sagt man; c. 45. „ut perhibent, qui interfuerunt.“ — In der Ferne erblickte man auch Thyle, dem sich nur Schnee und Winter nahen, aber die See bewege sich wenig und sei beschwerlich zum Rudern, sagen sie, sie werde nicht einmal durch Winde sehr in Bewegung gesetzt.

Cap. XV. - *e quibus legatus in sanguinem, procurator in bona saeviret — alterius manus, centurionis alterius servos, vim et contumelias miscere..*

Hanc cod. Vat. scripturam parum feliciter defendit Dronke, quem vide. Lectio edd. vett. *alterius manus, centuriones alterius vim* etc. durissima est. Primum notiones *manus* et *centuriones* parum invicem sibi respondent; deinde offensionem habet, quod prius *alterius* ad *procurator*, quod secundum locum, posterius ad *legatus*, quod primum locum tenet, referendum nobis est. Acquiescendum tamen erat in hac lectione vulgata, dum cod. Vat. nondum accurate excussus erat. — Ego quoque, quod nunc a Beckero factum video, ob similem locum Ann. XIV, 31. „ut regnum per centuriones, domus per servos velut capta vastarentur —“ scripturus essem *alterius centuriones, alterius servos*, eiecturusque potius *manus* quam *servos*, si liceret vocem emittere, quae qua ratione in textum venerit, probabiliter monstrari non possit. Non item religioni est habendum vocabulum recipere, quod in libro aliquo deest, ut nostro loco *servos* deest in edd. vett., quippe quod per librarium non attentum facile excidere potuerit. Adde quod Tac. more suo scripsisset *alterius centuriones, servos alterius.* Postea vidi, scripturam cod. Vat. verissimam esse, nisi quod, praeter mendosam interpunctionem, perperam habet *centurionis* pro *ceturiones*, frequentissimun in Mss. mendum. Nomen *manus*, quod Gronov. ad hunc locum recte explicuit (attulit Cic. in Verr. II, 10. „comites illi tui delecti manus erant tuae rel.“), ad *servos* quoque referendum; Britanni centuriones manus (Arme, Gehülfen) legati, servos manus procuratoris adpellant. Scribendum igitur: *alterius manus centuriones, alterius servos vim et contumelias miscere.*

Cap. XVIII. *Sed, ut in dubiis consiliis, naves deerant; ratio et constantia ducis pervexit.*

Parum profecisse VV. DD. in mutando explicandoque hoc loco desperato, nemo non sentiet. *Dubia consilia* de universa expeditione dictum esse non potest, ut Doederl., Dronke, alii putarunt; nam neque commodum sensum praebet et sequens *ratio - pervexit* innuit, centuriones et praefectos inopes fuisse consilii. Doederl. vertit: Aber wie bei unsicherm Vorhaben geschieht (Schiffe mangelten), die Einsicht und Beharrlichkeit des Anführers drang hinüber. Quis haec intellexerit? Ut taceam de parenthesi hujusmodi vix ferenda, non minus absurda prodit sententia, quam si vulgarem retinemus significationem horum verborum, quae sive ad *deerat*, sive ad *pervexit* refers, nullum bonum sensum elicies. Num in dubiis consiliis naves deesse solent? num in dubiis consiliis ratio et constantia ducis pervehere solet? Si *ut* pro particula causali accipis, non melius se habebit res. Arripiamus igitur, ad desperationem adducti, Gronovianam conjecturam *subitis consiliis.* Bene quidem tum his verbis enuntiatio *naves deerant* explicatur; sed alia residet difficultas, sequens *ratio et const.* rel. cum eo, quod antecedit, grammatice non cohaeret. Tacitus, nisi in descriptionibus vividis, poëticis dixerim, ἀσυνδέτως loqui non solet. Quid ergo? Vocabulum *ut* pro adverbio temporis accipiendum est, quod non solum ut apud multos alios ita apud Tacitum (Ann. I, 35. 65. II, 28. 42. 80. III, 15. IV, 2. 63. al.) cum perfecto construitur, sed etiam (sicut *postquam* ipsum, cujus vices suscipit, innumeris locis, uti Hist. II, 19. 25. III, 8. 46. 86. Ann. XV, 37. 45. 67.) cum imperfecto. Hist. IV, 31. „mox *ut* praeberi ora contumeliis, et — cuncta victi *patiebantur.*" (Quod ad zeugma hujus loci adtinet cf. simillimum locum c. *postquam* Ann. III, 26. „*postqaum exui* aequalitas et pro modestia ac pudore ambitio et vis *incedebat*, rel.") Liv. II, 45. „ut nihil movebant." Rutil. Lup. II, 20. „itaque ut familiares videbantur," ibi Ruhnk. Terent. Ad. III, 3. 42. „ut numerabatur pecunia." ibi Ruhnk. Plaut. Menaechm. Prol. „nam rus ut ibat forte ut multum pluverat." Cic. Verr. I, 2. „ut esset hoc judicatum." ibi Manut. — (cum praes. Hor. Sat. I, 5, 15. „absentem ut cantat amicam." ibi Bentl.; cum plusquamperf. Nep. Attic. 11. „ut emerserat.")

Tacitus animo cogitavit: naves deerant, qua re consilia dubia erant, sed ratio et constantia ducis pervexit. Ex his tribus enuntiationibus periodum et eam quidem more suo quam brevissimam ficturus erat (Zumpt. Gr. lat. ed. V. § 804). Sed qua ratione res erat perficienda, quum verbum substantivum participio temporis instantis careat? alias dicendi formulas quaerere noluit. (F. A. Wolf ad Ann. I, 41. „Si *triste* substantive dictum est pro tristi facie rerum, quo in loco *quod* recte habet, videri potest Tacitus frustra quaesivisse vocabulum, quod eam rem quam brevissime exprimeret.") Coactus igitur vel, si mavis, grata negligentia duo priora cogitata una enuntiatione expressit (vide ad c. 20) scripsitque, quod nunc scriptum legimus, cui tamen nihil inest, quo offendamur, quam quod rem posterius exprimendam praesumsit. Quamquam nobis quoque licet dicere: Als aber in der Verlegenheit keine Schiffe da waren, pro: Als aber keine Schiffe da waren, und man desswegen in Verlegenheit war. Vide de hac re Passovium ad Germ. 31. „vultu mitiore mansuescunt." et quos ibi laudat libros. —

Conjunctio *sed* ad *pervexit* relata sine causa scrupulum iniecit Dronkio; saepe in narrando, apud Sallust. centies, vim adversativam deposuit, ut nostrum *aber*. Ann. I, 63. II, 64. Germ. 29. *Sed insulam Rheni* rel., ibi Hess. Cf. Doeleke, Deutsch-latein. Schul-Gramm. §. X. N. 29. Meo autem sensu nostro loco *sed* vim suam, qua, ut supra monstravi, initio illud cogitavit Tacit., etiam antepositum rei, cui adversatur, servare potest. — Interpunctio igitur nostri loci sic refingenda: *Sed ut in dubiis consiliis naves deerant, ratio et constantia ducis pervexit.*

Cap. XIX. *Nihil per libertos servosque publicae rei.*

VV. DD. verbum agendi requirunt; Bipp., Oberl., Seebode, Bloch, Valeriani, alii *agere* intrudunt ante *Nihil*; Im. Bekker et U. I. H. Becker idem verbum uncis includunt; Dronke critices lege coactus constantem cod. Vat. et edd. vett. scripturam perinvitus sine additamento nobis offert. Equidem facio cum Doederleinio, qui ad locum paulo inferiorem sagaciter adnotat: Die Möglichkeit der treuen Uebersetzung beweist, dass die Annahme

einer Ellipse — ausreicht. Tale argumentum utique audiendum est. („At nimirum in eo philologi quasi de industria peccant, quod neque alias linguas ad explicationem adhibent, neque quid omnino linguarum ratio ac natura postulet, cogitant." Herm. ad Vig. p. 873.) Non dico, easdem ellipses in omnibus linguis receptas atque usitatas esse; illud vero contendo, non jure dici posse cum Dronkio ad h. l., genus quoddam ellipsis contra animi leges et omnino ἄλογον esse, quod in quacunque alia lingua pervulgatum sit; omnibus linguis eaedem sunt animi leges. — Tantum abest, ut contra animi leges sit hujusmodi ellipsis, ut nihil vulgatius sit apud optimos scriptores. Heindorf ad Cic. N. D. III, 2. adnotavit: „neque hac vel *faciendi* vel *dicendi* verborum praetermissione frequentius est quicquam apud optimum quemque scriptorem." Ut tacitus praetereiam notissimam formulam *nihil aliud quam*, delego te ad Germ. 19. „Melius quidem adhuc eae civitates (agunt)." Hist. I, 10. „palam (facta) laudares, secreta male audiebant." ib. 84. „Vos quidem istud pro me (fecistis)." Ann. I, 74. „ex pauperibus divites (facti)." Agr. 27. „At Britanni non virtute, sed occasione et arte ducis (factum) rati." Cic. N. D. III, 40. „quae quum dixisset, Cotta finem (fecit)." Cic. de Fin. IV, 1. „quae quum dixisset, finem ille (fecit)." Suet. Caes. 26. „quod ante eum nemo." (Bremi: eine vorzüglich in diesem Zeitalter häufige Ellipse des Verbi *fecit*). Cf. Lamb. Bos. Ellips. gr. ed. Schaef. p. 648. Sanctii Min. ed. Bauer. II, p. 230. Ruddimann. ed. Stallb. II, p. 227. Ramsh. §. 206, C, 2, c. — Ne secundum Hermanni quidem rationes hujusmodi ellipses nimis audaces sunt. Ad Vig. p. 872. „Itaque, inquit, ubi verbum deest, deest pars praedicati cum copula, ut μή πρός σε γονάτων, scilicet ἱκετεύω, i. e. ἱκετεύων εἰμί. Hic pars praedicati, quae posita est, ex qua intelligi debet ea, quae est omissa, πρὸς γονάτων est." Nostro loco haec pars est *per libertos servosque*, ex qua facillime intelligitur omissa, sc. *fecit*, *egit* vel infin. histor. *agere*. Ann. IV. 57. „Caesar in Campaniam." Hist. I, 29. „simul ex tota urbe." ib. 86. „fames in vulgus."

Et verbum *praeponere*, quod mox eodem capite ex uno cod. Vat. receptum legimus, cum Doederl. pro glossa habeo. Cf. c. 9. „nullam ultr personam, tristitiam et arrogantiam et avaritiam exuerat." ut Becker optimo retqisuerjuit. Ann. I, 15. „neu mortem in iisdem laboribus, sed finem tam

exercitae militiae, neque inopem requiem orabant," ib. 15. „ne laeti excessu Principis, neu tristiores primordio, lacrimas, gaudium, questus, adulationes miscebant." Saepe in priore periodi membro verbum omisit, voluitque, ut omissum ex posteriore divinaremus, id quod ne puero quidem multi erit sudoris.

Cap. XX. *Quibus rebus multae civitates, quae in illum diem ex aequo egerant, datis obsidibus, iram posuere, et praesidiis castellisque circumdatae sunt, tanta ratione curaque, ut nulla ante Britanniae nova pars illacessita transierit.*

Sententiam hujus loci recte explanarunt Ern., Doederl., Dronke, alii; verum in expediendam structuram verborum *ut nulla* — *transierit* frustra impenderunt laborem. Ern. putat *sic* vel *ita* excidisse post *pars*; Doederl. pulchre videns, ubi haereat res, scribendum conjecit *curaque, ut ea, ut nulla* rel., cujus emendationis sensum se non intelligere Dronke conquestus est, quod miror. Ego haec Beckeri non intelligo: „*ut* non pro conjunctione sed pro adverbio accipiendum et ad *illacessita* referendum est." Primum nemo videbit, unde conjunctivus pendeat; deinde plusquampf. ponendum fuit; postremo quo vinculo verba *ut nulla* etc. cum antecedentibus, praecipue cum voce *tanta* cohaerent? Alias multas conjecturas atque interpretationes vide sis apud Dronkium. — Mea qualiscunque sententia haec est.

Tacitus hic ut aliis locis brevitatis studio duas enuntiationes in unam contraxit. Cf. supra ad c. 18. infra ad c. 38. — Cogita tecum de his locis: c. 43. „Nobis nihil comperti affirmare ausim." c. 45. „quum denotandis tot hominum palloribus sufficeret saevus ille vultus et rubor." Manifestum est Tacitum cogitasse: *circumdatae sunt, tanta ratione curaque, ut, ut nulla ante Britanniae nova pars, haec nova pars illacessita transierit.* Verba *haec nova pars* ita omisit, ut verba *nova pars*, quae nunc leguntur, ad enuntiationem et secundariam et primariam pertineant. Cf. c. 14. „ut, vetere ac jam pridem recepta populi Romani consuetudine, haberet (sc. populus Romanus) instrumenta servitutis et reges." C. 38. „unde proximo latere Britanniae, lecto

omni (sc. latere Britanniae), redierat." vide infra ad h. l. — Ab *ut* conjunctione et adverbio juxta positis latinus sermo non minus abhorret, quam vernaculus ab *als als*, *wie wie*. Interrogas, qua ratione Tac. se expedierit? alterum omisit, atque alterum conjunctionis simul et adverbii vice fungitur. Modus, tempus, contextus, sensus, omnia plana sunt. Hanc sententiam, quamvis probabilis mihi videatur et in qua acquiescat, qui Taciti et ingenium et sermonem accuratius perspexerit, in medium tamen proferre non ausus essem, nisi idem accidisset nostro Hist. IV, 5. „Helvidius Priscus — ingenium illustre altioribus studiis juvenis admodum dedit, non ut plerique nomine magnifico segne otium velaret, sed quo firmior adversus fortuita rempublicam capesseret." *non ut plerique* pro *non ut*, *ut plerique* scripsit. Editores contra constantem codicum scripturam ante *nomine* alterum *ut* intruserunt, non animadvertentes, Tacitum enuntiationem *ut nomine velaret* negasse, non verba *ut plerique*, per parenthesin dicta, quibus etiam omissis sensus integer maneat oportet; virgula inter *non* et *ut plerique* ponenda errori occurrere non licet, quum, quod sciam, respuat latinitas *non* in tali contextu sine fulcro positum. — Quid? quod ipsum Ciceronem hujusmodi negligentiae, ut merito adpellatur, reum faciunt. Nat. Deor. I, 9. „deinde quod ita multa sunt incommoda in vita, ut ea sapientes commodorum compensatione leniant, stulti nec vitare venientia possint, nec ferre praesentia." ib. Heindorf. Ramsh. huic loco §. 206. A. 5. laudato subjecit: „st. ut, *quum* ea sapientes leniant."

Cap. XXIV. *Quinto expeditionum anno nave prima transgressus ignotas ad id tempus gentes crebris simul ac prosperis proeliis domuit.*

Ernest. verba *nave prima* explicuit: „quae ora ista scrutari ausa." Quam vulgarem explicationem Becker certissimis refutavit argumentis, quem vide; quod autem conjecit legendum *vere primo*, haud facile cuiquam probatum erit; „credibile est, inquit, quinto anno Agr. solito maturius, nec exspectata aestate, *primo vere* jam hostem adgressum esse." Tac. non *adgressus* scripsit sed *transgressus*. Cur nemo interpretum in hanc vocem accuratius in-

quisivit? Enim vero cuique statim se offerre debuit quaestio, quid transgressus sit Agricola. Quas enim gentes quinto expeditionum anno domuit, in Britannia secunda (hodie Wales) habitabant. — Res simplicissima mihi videtur esse. Agr. Romae vel alibi fuerat per hiemem, et nave, qua prima navigari potuit, i. e. quum primum navigari potuit, in Britanniam transgressus est; per hiemem enim non navigabant veteres. Hor. Od. I. 3.

Solvitur acris hiems grata vice veris et Favonis;
Trahuntque siccas machinae carinas.

C. 18. „media jam aestate *transgressus* Agricola." c. 10. „fama est *transgressis*." Nonne fieri potuit, ut Legatus, quum res paterentur, permissu Imperatoris Romam veniret? Agricola quarto expeditionum anno bellum non gessit, cf. totum caput 23., ubi de aestate tantum loquitur Tac., non de toto anno vel de aestate et de hieme separatim, ut apud priores annos. Sane debuit commemorare profectionem Agricolae, sed de hac re, ut leviore, separatim loqui nolens, jure speravit, quemvis ex verbis *nave prima transgressus* sua sponte collecturum esse, Agricolam ex Britannia antea profectum esse, quum, qui in terram rediret, antea de ea decessisse oporteret. Jllud enim, quum aliquid tale nondum vidissent veteres, cogitare non potuit, tempora futura esse, quibus patrius suus sermo ex vita et consuetudine communi abiisset, et quibus vulgares voces et loquendi formae non jam intelligerentur!

Cap. XXV. *Ceterum aestate, qua sextum officii annum inchoabat, amplexus civitates trans Bodotriam sitas, quia motus universarum ultra gentium et infesta hostilis exercitus itinera timebantur, portus classe exploravit rel.*

Lectio edd. vett. *amplas* pro *amplexus*, quam Jm. Bekker, mirum sane, revocavit, et quam Doederl. nimis artificiose defendere studuit, nullo pacto admittenda est. Satis habere debemus, codicem Vat., quod Maggiorani quoque legisse videtur, exhibere *amplexus*, quippe quo omnis difficultas sublata sit.

Ernest. „Ego, inquit, post *sitas* aut ante *amplas* aliquid excidisse putavi de exercitu terrestri, cuius mox mentio, aut expeditione universa, velut *aggressurus*; nisi di in ipsum verbum *amplas* corruptum est, quod non desideraremus, si abesset.“ Quod requisivit Ernest., partic. *amplexus*, ut nihil supra, praebet. Tac. saepissime participio perf. verborum deponentium usus est pro part. praes.; quem usum vis exemplorum, licet perpauca contorte aliter explicari possint, evidenter probabit. *Amplexus* legitur Ann. I, 39. IV. 42. (Plin. Pan. 86. „Prosecutus enim, nec temperasti tibi, quo minus exeunti in litore amplexus, osculum ferres.“ quem locum Gierig, verae Arnzenii rationi repugnans, pessime interpretatur; virgula post *amplexus* delenda est.) *complexus* Ann. I, 40. VI, 21. 46. 50. XVI, 31. *precatus* Germ. 10. Ann. XI, 35. *cunctatus* Hist. I, 31. 34. III. 77. A. II, 69. *locutus* H. II, 80. *profectus* H. III, 10. *questus* H. IV, 9. *perpessus* H. IV, 17. *interpretatus* H. V, 13. *populatus* H. V, 23. *secutus* A. I, 63. IV, 57. XIII, 20. *operatus* A. II, 14. III, 43. *aspernatus* A. II, 28. *usus* A. II, 38. *praefatus* A. II, 48. *invectus* A. VI, 24. *demoratus*. A. XV, 69. *adortus* A. XV, 45. Agr. 25. — Ramshorn §. 171, I, N. 1. Heindorf ad Hor. Sat. I, 6, 56. — Ut alia verba, e. g. *occupare*, *obtinere*, *potiri* sic *amplecti* et perpetuitatem et initium actionis significat, ut nostrum *umfassen* est *umfasst halten* et *erst umfassen*. — Adde, quod participio praes. nonnunquam etiam conatus, apparatus agendi exprimitur. Rath, de gram. et rhet. eloc. Rom. praeceptis p. 162. Sanctii Min. ed. Baueri I, p. 155.

Eod. loco cod. Vat. et edd. vett. constanter habent *hostilis exercitus*, quod male defendit Dronke, dicens: „*hostilis exercitus itinera* i. irruptionem, sive ipsos hostes, qui Romanos infesti erant aggressuri.“ Iure interrogat Becker: qui enim fieri potuisset, ut dux aliquis, ultro hostibus bellum inferens, timeret, ne iter suum in frontem ab hostili exercitu infestum redderetur?“ Equidem valde dubito an usquam scriptores Romani agmina barbarorum *exercitum* vocarint. Quam ob caussam et vulgata Rhenani lectio *hostili exercitu*, si, ut vulgo fit, pro ablativo accipis casum, vehementer displicet. Beckeri conjectura *hostibus exercitus* nemini arridebit. „*Itinera*, inquit, hic sunt viae, quas exercitus jam emensus est.“ Vix ac ne vix quidem hoc verbis *exercitus itinera* exprimitur; porro et *hostibus* et vulgatum *hostili exercitu*

supervacanea sunt; jam per se liquet, itinera per hostes infesta fuisse. — Accuratius nobis rem aestimantibus mox adparebit, Tacitum nihil aliud dicere voluisse, quam: motum *universarum* gentium timebant, neve hac re infesta essent itinera. Nemo nescit, quam vehementer etiam praestantissimi belli duces maximis copiis omnibusque opibus instructi, qui cum nullo quamvis valido hostium exercitu congredi recusent, imo optent, quam vehementer, inquam, timeant universi populi motum. Tacitus more suo caussam et effectum vocula *et* conjunxit. Hist. II, 23. „scelere et metu vecordes." I, 88. „multi afflicta fide in pace ac turbatis rebus alacres." Ann. I, 32. „ea vetustissima militaribus odiis materies, et saeviendi principium." III, 55. „poena ex legibus et metus." — Suspicari igitur licet, Tacitum scripsisse: *quia motus universarum ultra gentium et infesta itinera timebantur*; et verba *hostilis exercitus* ineptam glossam esse hominis hanc structuram ignorantis. Notissimum est, quam multis locis Taciti scripta glossulis depravata sint. Si tamen Taciti sunt haec verba, Rhenani lectionem servandam censeo, sed casum pro dativo accipiendum, quae forma dativi saepius occurrit; *Luxu* H. II, 71. A. III, 30. 34. *decursu* A. III, 33. *consensu* A. XII, 5. *commeatu* A. XII, 62. *comitatu* H. II, 65. *metu* A. XII, 32. *cruciatu* XV, 59. — Ad Romanos igitur referenda sunt haec verba, et vertenda: für *ein* (non für *das*) feindliches Heer; aliis hominibus non erant infesta. Aliis quoque locis verba *hostis* et *hostilis* ad populares loquentis referre mirum in modum noluerunt interpretes. C. 36. „hostium agminibus." ibi Dronk. c. 32. „vitia hostium," ubi Muretus *nostra* voluit pro *hostium.*

Eod Cap. — *quum — modo silvarum et montium profunda, modo tempestatum ac fluctuum adversa, hinc terra et hostis, hinc auctus oceanus militari jactantia compararentur.*

Verbum *auctus* vehementissime torsit interpretum ingenia. Unus omnium Oberlin recte id interpretatus est, dicens: „A prisca lectione nolim recedere. Auxere milites jactabundi terras, hostem, oceanum, ut A. 2, 82, *cuncta in deterius aucta adferebantur*, Cf. et c. 39. ab initio." Sed vereor, ne,

ut nonnunquam fit,' obscure potius senserit verum; quam clare perspexerit; namque alioquin profecto operae pretium duxisset, pluribus verbis hanc suam sententiam firmare; quod si fecisset, non alias atque alias interpretationes jam molirentur VV. DD., neque Dronke scripsisset: „Oberlini sententia, qui v. *auctus* ad terram, hostem, oceanum refert, nobis probari non potest et propter structuram et quod sequitur, *militari jactantia*, quibus verbis inest vis *augendi.*", neque mihi, quum alia via verum invenissem, penitus ex animo fuisset elapsum, hunc locum jam ab Oberlino eadem ratione explicatum esse.

Sententia hujus loci est: hinc terram et hostem, hinc oceanum militari jactantia augebant atque haec inter se comparabant. Vox *auctus* ad *silv. et mont. profunda* et *temp. ac fl. adversa* et *terra et hostis* referenda (Ramsh. §. 96, 2, c.); item vocabula *modo — modo, hinc — hinc* et verba *militiari jactantia* non ad *compararentur* sed ad *auctus* referenda sunt.

Tria igitur momenta simul intelligentiam hujus loci impediverunt, quorum unum jam hic illic in errorem duxit interpretes.

Primum, quod participium praeteriti positum est significatione participii praesentis passivi, quo caret linqua lat., vel, ut grammatici volunt, significatione participii aoristi. Ramsh. §. 171, I, 2) N. 1, b) Sanctii Min. ed. Bauer I, p. 156 seqq. Heindorf ad Hor. Sat. I, 2, 66. — Cf. infra c. 29. „Initio aestatis Agricola domestico vulnere *ictus* anno ante natum filium *amisit.*" filio amisso ictus est. H. III, 7. „*subtractus* militum irae ad Vespasianum *missus est.*" ubi Ern. *et* post *irae* requirit; missus subtractus est; missus est, ut subtraheretur. Agr. 33. „quamquam laetum et vix munimentis *coercitum* militem accendendum adhuc ratus." H. I, 6. „Invalidum senem T. Vinius et Cornelius Laco, alter deterrimus mortalium, alter ignavissimus, odio flagitiorum *oneratum* contemptu inertiae destruebant." Quod vulgo male intelligitur. Gutmann: „Den kraftlosen Greis richteten T. V. u. C. L., jener der verworfenste, dieser der schlaffeste Mensch vollends zu Grunde, durch den Hass, den ihre (?) Schlechtigkeit, und durch die Verachtung, die ihre (?) Traegheit auf ihn warf." Vinius, deterrimus mortalium, odio flagitiorum, et Laco, ignavissimus mortalium, contemptu inertiae eodem tempore invalidum senem onerabant et destruebant. H. I, 64. „secretis eum criminationi-

bus infamaverat Fabius, ignarum, et quo incautior deciperetur, palam ***laudatum.***" H. IV, 39. „Igitur Mucianus, quia propalam opprimi Antonius nequibat, multis in senatu laudibus *cumulatum*, secretis promissis onerat rel." Ann. IV, 60. „voces — quas adpositi custodes exceptas ***auctasque*** cum deferrent rel." deferentes demum augebant. Liv. II, 36. „sub furca caesum medio egerat circo." ibi Ruperti. cf. Hor. Sat. I, 2, 66. II, 7, 90. Virg. Aen. I, 69. 481. IX, 565. Georg I, 339. Multo saepius occurrit in constructione ablativi abs.; uti Hist. I. 2. 6. 40. 63. 68. 82. IV, 18. 62. 80. et aliis multis locis.

Alterum est, quod verbum ***auctus*** ante *oceanus* posuit, quo facto pro adjectivo illud habent, non pro praedicato, quod nunc demum subjecto attribuitur. Solent enim scriptores latini, praecipue argenteae aetatis, praedicatum subjecto praeponere, copula omissa vel post subjectum posita. C. 39. „ducis boni imperatoriam virtutem esse." i. e. ducis boni virtutem esse imperatoriam (virtutem.) C. 42. „posse etiam sub malis principibus magnos viros esse." quod vulgo perperam vertitur; verbum *esse* copula est. C. 43. „a bono patre non scribi heredem, nisi malum principem." i. e. non principem, nisi malum. Doederl., ut fere omnes, absurde vertit: wie von einem guten Vater niemand (?) als Erbe eingesetzt wird, ausser ein boeser Fürst. C. 32, „coelum ipsum ac mare et silvas, ***ignota*** omnia circum spectantes." (quam Doederleinii emendationem Becker optimo jure in textum recepit, vulgo " ***umspectantes.***) Germ. 42. „Praecipua Marcomanorum gloria viresque; atque ipsa etiam sedes, pulsis olim Boiis, virtute parta." Semicolon a Passovio recte positum. Bredow male: den ***vorragenden Ruhm*** und ihre Macht, ja selbst ihren Wohnsitz — haben sich die Markom. durch Tapferk. erworben. cf. H. II, 66. „praecipua Quartodecimanorum ferocia, qui se victos abnuebant." utroque loco supplendum *erat*. H. I, 30. „commune crimen facitis." II, 33. „remeantium fractus animus." IV, 82. „divinam speciem interpretatus." Ann. II, 12. „libertorum servilia ingenia." III, 2. „laetam mortem male dissimulari." XI, 2. „utque clausae aures etiam confitentibus forent." Plin. Pan. 36. „ fiscus cujus mala causa nunquam est, nisi sub bono principe."

Tertium est, quod particulae *modo* — ***modo***, ***hinc*** — ***hinc*** ad ***auctus*** re-

ferendae sunt, non ad *compararentur*, ad quod omnes interpretes retulerunt. Absurdum est: hinc terra et hostis comparabatur, hinc auctus oceanus comparabatur; utrumque utrobique comparabatur, sed augebatur hinc terra et hostis, hinc oceanus. H. II, 76. „*Nec* Othonem *quidem* ducis arte, aut exercitus vi, sed praepropera ipsius desperatione *victum*, jam desiderabilem et magnum principem fecit." *Nec* — *quidem* ad *victum* referendum, non ad *fecit.* III, 49. „*ut captam* Italiam, *ut suas* legiones colere." IV, 70. „*velut parto* imperio fruebatur." Ann. I, 76. „*quanquam vili* sanguine nimis gaudens." — Quamquam hoc tertium non occurrit, nisi cum altero conjunctum, i. e. nisi praedicatum subjecto praepositum sit.

Ergo Oberlini explicatio hujus loci recte habet. Ceterum conf., ad quem locum jam ipse provocavit, c. 39. „nulla verborum jactantia — *auctum*", qua lectione nihil verius.

Eod. Cap. *Ad manus et arma conversi Caledoniam incolentes populi, paratu magno, maiore fama, uti mos est de ignotis*, oppugnasse ultro castella adorti, *metum, ut provocantes, addiderant.*

Etiam in hoc loco sine causa laborant VV. DD. Multas et varias emendationes atque explicationes vide sis apud Ern., Dronk. Equidem lenissimam adhibui medelam. Virgulam post *ultro*, qua omnes, quas inspexi editiones, ornatae sunt, delevi, et verba *oppugnasse ultro castella adorti* diversis typis transscribenda curavi; quo facto spero fore, ut quivis sensum statim teneat. *Adorti* participium aoristi est; Ann. XV, 45. „L. Pisonem — ex improviso in itinere *adortus* uno vulnere in mortem *adfecit.*" Liv. II, 20. „Valerium — ex transverso quidam adortus transfigit." eod cap. „integris corporibus animisque fessos adorti exsules caedunt." Nominativus c. infinitivo a voce *fama* pendet, ex qua *dicebantur* eruendum est. Sie haben selbst, hiess es, die Kastelle angreifend den Krieg begonnen.

Cap.

Cap. XXVIII. *Mox hac atque illa rapti, et cum plerisque Britannorum sua defensantium proelio congressi, ac saepe victores, aliquando pulsi, eo ad extremum inopiae venere, ut infirmissimos suorum, mox sorte ductos, vescerentur.*

Dronke, Prorsus absurdum est, inquit, quod legitur in cod. Vat. 3429, P. 1, 2, Ven. Alc., *mox ad aquam atque ut illa raptis secum plerisque.* Emendationem praeclaram ingenio debemus Rhenani, qui priorem lectionem tacite correxit; meliora ex his verbis neque quisquam ante nostra tempora divinabat neque ego possum." Equidem satis mirari non possum, editores tam diu acquievisse in hac Rhenani conjectura, quae minime praeclara mihi videtur; primum nimis longe a scriptura codd. recedit, deinde verba *sua defensantium* mentionem rapinae desiderant. Vocabulum *aquam*, quod hic absurdum habuisse videntur, rectam debuit monstrare viam. Num aqua non opus erat Usipiis? aquam marinam non potuerunt bibere; vide de hac re Plin. Hist. Nat. XXXI, 21. 33. 37. Ergo in promptu est emendatio: *mox ad aquam atque utilia rapienda cum pler.* Sed magis mihi arridet: *mox autem aquam atque utensilia raptantes cum pler.* Compendiaria scriptura vocis *autem* facile in *ad* abire potuit; vide Ruhnk. ad Rut. Lup. I, 13. Ernestium ad Ann. XV, 52. „Si *a* displiceat, possis corrigere *aut*, praesertim cum libri quidam habeant *ad*"; eund. ad Ann. XV, 53. ubi unus cod. *ad*, reliqui *aut* habent. — *Utensilia* sunt *cibaria*; quinquies hac significatione occurrit in Taciti quae exstant scriptis, Ann. I, 70. II, 1. 60. III, 52. XV, 39. cf. Gronov. ad Ann. I, 70. —

Cap. XXX. *Nos terrarum et libertatis extremos recessus ipse ac sinus famae in hunc diem defendit.*

Mirum quantum hic locus facillimus VV. DD. cruciavit. Multi interpretes non viderunt, *recessus* et *sinus* synonyma esse et genitivum *famae* ab utroque pendere; omnes autem hic fefellit vis pronominis *ipse*, quod, sicut nostrum *selbst*, saepe denotat: *etiam*, *vel*, *adeo*, *auch*, *sogar*; quam quum ha-

bet significationem, non cum graviore enuntiati nomine, sed cum primo conjungitur eodem genere et casu. C. 3. „nec spem modo ac votum securitas publica, sed ipsius voti fiduciam ac robur assumpserit." ubi manifesto vox acuta non in verbo *voti*, sed in *fiduciam et robur* ponenda est. C. 32. „coelum ipsum ac mare et silvas, ignota omnia circum spectantes." ubi *ipsum* etiam ad *mare* et *silvas* pertinet; ja selbst Himmel, Meer und Wälder, alles sehen sie als unbekannt um sich her. — Si nostro loco *famae* voce acuimus, omnis obscuritas evanuit. Sententia est: Romani usque ad hunc diem nos non aggressi sunt, non solum propter longinquitatem regionis nostrae, sed etiam, quod ne nomen quidem nostrum ad aures eorum pervenit; brevius: Nos non solum regionis, sed ipsius famae recessus in hunc diem defendit; quam enuntiationem Tacitus varians ornansque una comprehensione complexus est: Nos terrarum ac libertatis *extremos* recessus ipse ac sinus *famae* in hunc diem defendit. — Sic demum Tac. tumoris absolvitur, cujus nomine alioquin damnandus esset, propterea, quod verba *recesssus* et *sinus* de fama dixit, quae conjunctim tantummodo de terra vel mari recte dicuntur. Uns, die Aeussersten der Erde und der Freiheit, hat selbst die Entfernung, die Verborgenheit unseres *Namens* bis auf diesen Tag geschützt.

Cap. XXXIII. *Equidem saepe in agmine, quum vos paludes montesve, et flumina fatigarent, fortissimi cuiusque voces audiebam: Quando dabitur hostis? quando acies? Veniunt, e latebris suis extrusi, et vota virtusque in aperto*, rel.

„P. 1, 2, Ven. Alc. *quando animus*? Rhen. tacite quidem, sed praeclare emendavit." Dronke. Pace viri doctissimi sit dictum, non praeclare emendavit Rhen., sed inconsulte et temere corrupit; quam corruptelam ab omnibus, et qui ediderunt hanc vitam, et qui verterunt, usque ad hunc diem esse retentam magnopere admiror. Videor audire Beatum Rhenanum, cachinno sublato, exclamantem: Fortissimos milites, quibus ante pugnam, ut pulvis pyrius et glandes plumbeae, sic animus dandus sit, ex horreo promtus! Continuo, sine ulla haesitatione *animus* mutavit in *acies*, non cogitans, *dabitur* hoc loco esse *licebit*; qua significatione non solum infinitivo verbi

subjungitur (Ann. II, 53. 58. III, 67. IV. 6. 60. VI, 19. XII, 11. 12. 23. XIV, 47. XVI, 16.), sed etiam nomini substantivo. Ann. II, 13. „daretur pugna." VI, 8. „defensio dabitur." XVI, 33. „datur mortis arbitrium." Virg. Aen. II, 656. „Nam quod consilium aut quae jam fortuna dabatur?"

Si quis tenue discrimen indaget inter haec exempla et nostrum locum, is dicat, figuram ἀπὸ κοινοῦ esse, qua nihil vulgatius apud Tacitum. Sententia igitur est: quando licebit nobis hostem vincere, profligare, quando animum explere, ostendere. Wolf. ad Ann. I, 51. *avidas legiones*, explicationem subjecit: „Non tam praedae, quam caedis. Iram effundere, animum explere volebant." Germ. 14. „vocare hostes et vulnera mereri." Spero igitur fore, ut aequi judices, meo qualicunque patrocinio commoti, vocem *animus* ex trecentorum annorum exilio in sedem suam revocent; quo facto et sequentia *vota virtusque in aperto*, quae tam diu misere languebant, laeta reficientur. Ad prius *quando dabitur hostis* Agricola respondet: *veniunt e latebris suis extrusi*, ad posterius *quando animus* respondet: *vota virtusque in aperto. Vota virtusque* per figuram ἓν διὰ δυοῖν dictum; vóta, ut virtutem ostendere possetis; vel, virtus, cujus ostendendae copiam in votis habebatis. Idem est, si dicis, syllabam *que* vim explicandi habere; vota, id est virtus, in aperto. Vide Ruderti ad Liv. II, 42. ad Ann. I, 33. Ramsh. §. 179, B, a, 3. §. 206, C, 4, a. Zumpt §. 738. (ed. V.) Oft hörte ich auf dem Marsche, wenn euch Moräste, Berge und Flüsse erschöpften, den Ruf jedes Tapfern: Wann wird uns der Feind gestattet, wann unser Muth? Sie kommen aus ihren Schlupfwinkeln herausgetrieben, und euer Wunsch, eure Tapferkeit hat offenes Feld.

Cap. XXXIV. *Quos quod tandem invenistis, non restiterunt, sed deprehensi sunt; novissime id est extremo metu corpora defixere aciem in his vestigiis, in quibus pulchram et spectabilem victoriam ederetis.*

Ita exhibent edd. vett.; in cod. Vat. legitur *novissime res et extremo.* Quam multa et varia, ut videbis, frustra conati sint interpretes ad sanandum illustrandumque hunc locum corruptum, vide apud Ern., Dronk. Haud me-

liore successu nuperrime Becker proposuit legendum: *novissime ergo et extremo.* Rhenanus tacite correxit: *sunt novissimi, et extremo metu corpora defixere in his vest.*, quod Ern., Valeriani, Im. Bekker, alii receperunt. At *novissimi* ad praecedentia relatum mire friget; *corpora defixere aciem*, i. e. *pugnam*, merito displicuit Rhenano multisque aliis. At quo jure vocem *aciem* in exilium egerunt? Num glossam sapit? an ex alio versu huc irrepsit? Nihil nisi libido est, vocem emittere sine ulla alia caussa, quam quod eam non intelligimus. Tamen ignoscendum iis esset aliquo modo, si id, quod nobis dederunt, esset latinum. Enimvero haud scio an nusquam verbum *defigere* id significans, quod volunt, active positum reperiatur, nisi *metus* vel *pavor* vel *stupor* sit, de quo id dicatur; non licet dicere, *Britanni extremo metu defixere corpora*, dicendum est, *metus extremus defixit Britannorum corpora.*

Equidem scribendum censeo: — *sunt, novissimo (id est extremo) metu corpora defixere aciem i. h. v.* Ut vides, a lectione edd. vett. non recedo, nisi quod litteram *e* vocis *novissime* in *o* mutavi et verba *id est extremo*, quod meruerunt, ad uncos damnavi. Ut aliis multis vocabulis, ita vocabulo *novissimus* Tacitus ejusque aequales latiore sensu utuntur, quam scriptores aurae aetatis. Ponunt enim id pro *extremus*, non solum, quum hoc ad tempus vel spatium, sed etiam quum ad gradum alicujus rei vel actionis spectat. Varro apud Gell. X, 21. „Quod *extremum*, inquit, dicebatur, dici *novissimum* coeptum vulgo." Ann. VI. 50. „novissima exspectabant." XI, 3. „novissima securitas." XII, 33. „novissimus casus." ib. 20. et XV, 44. „novissima exempla." Glossator ad hoc vocabulum explicandum adscripsit *id est extremo*, quae verba deinde per scribas verbis scriptoris sunt inserta. Legenti mihi G. 24. „extremo ac novissimo jactu" suspicio mota est, scriptum hic fuisse *novissimo et extremo metu*, sed tum caussa corrumpendi non adfuisset. De glossis in Taciti scriptis vide Ernest. ad A. I, 16. III, 38. H. III, 7. 20. 50. 69. 84. IV, 5. V, 3. 23.

Defigere aciem nihil aliud mihi videtur esse, quam *defigere oculos.* Plin. H. N. VIII, 19. „Quum pro catulis feta dimicat. oculorum *aciem* traditur *defigere* in terram, ne venabula expavescat." Agricola hostes cum feris comparans pergit: nunc ad resistendum coacti, ut ferae solent, extremo metu oculos defixere. Quum initio in mentem mihi venisset Caes. B. G. I. 39. „saepenumero sese cum eis congressos ne vultum quidem atque aciem oculorum ferre potuisse," Agricola mihi videbatur his verbis timorem eximere voluisse militibus, quem fortasse truces hostium oculi injecerant; sed rem accuratius mihi spectanti persuasum est, Agricolam (vel rectius Tacitum) hic in verbis lusisse, et pergentem in comparando hostes cum feris, lo-

quendi formula *defigere aciem*, quod proprie est *defigere oculorum aciem*, voce *oculorum* omissa, de pugna capessenda usum esse; quod acumen aptissimum erat, quo hostes risui essent, et militum animi augerentur.

Cap. XXXVIII. *Et simul classis secunda tempestate ac fama Trutulensem portum tenuit, unde proximo latere Britanniae, lecto omni, redierat.*

Locus sanus est neque ulla medela eget. Vis vocis *proximo* omnes fugisse videtur; *proximum latus Britanniae* (ut c. 14. proxima pars Britanniae. c. 23. propior sinus) id vocabatur, quod imperio Romano proximum; Romanis, quippe qui in Britanniam transgressi ad id naves adpellerent, notissimum erat; inter Rutupensem fere portum et Tamesis aestuarium. Partic. *lecto* ad *omni*, non ad *proximo latere* referendum est. Zugleich lief die Flotte vom Winde und Ruhme begleitet im Trutulischen Hafen ein, von wo her sie längs der nächsten Küste Britanniens, nach der Umschiffung des Ganzen, zurückgekehrt war. Classis a Bodotriae aestuario profecta per litora septentrionalia occidentaliaque et meridionalia (partem orientalem antea jam legerat) prius cursum perfecerat, quam exercitus ad hiberna in meridionali Britanniae parte, fortasse in Cantiis, pervenit. Navigavit deinde per proximum Br. latus aliquod spatium septentrionem versus, et quum exercitum deprehendisset, ab Agricola renavigare jussa, Trutulensem portum tenuit.

Ablativus *proximo latere* positus pro *per proximum latus*, ut Hist. IV, 68. „Legiones — Penninis Cottianisque Alpibus, pars monte Graio traducuntur." Ann. I, 8. „ut porta triumphali duceretur funus." Ramsh. §. 148, c. Si quis malit supplere *in*, Tacitus, ut poetae, saepissime omittit hanc praepositionem; Hist. I. 2. „obrutae urbes fecundissima Campaniae ora." II. 35. „erat insula amni medio." Ad *lecto omni* ex verbis praecedentibus supplendum est *latere Britanniae*; vid. quae supra disputavimus ad c. 10. Ut interpunctione intelligentiae hujus loci subvenirem, ante *lecto* et post *omni* commata posui.

Cap. XLIV. — *quid aliud adstruere Fortuna poterat? Opibus nimiis non gaudebat; speciosae contigerant. Filia atque uxore superstitibus potest videri etiam beatus, incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis, futura effugisse.*

„Si audiamus Dionem 66, 20. (ὁ δὲ Ἀγρικόλας ἔν τε ἀτιμίᾳ τὸ λοιπὸν τοῦ βίου καὶ ἐν ἐνδείᾳ — ἔζησεν) Agricola, ex Britannia redux, reliquum vitae in ignominia et paupertate transegit." Ernest. Cf. c. 7. „praediaque ip-

sa et magnam patrimonii partem diripuit rel." et quae supra dixi ad c. 6. — Equidem ablativum absol. *filia atque uxore superstitibus* concoquere non possum, non video, qua ratione cum sequentibus cohaereat. Caussam enim totius enuntiationis *potest videri beatus futura effugisse* non continet sufficientem; num si filia atque uxor non superstites fuissent, non potuisset beatus videri *futura effugisse*? Si Tac. hanc rem ut caussam proferre voluisset, cur omnino *beatus videri* posset Agricola, tum ponenda ei fuissent haec verba juxta reliquas, quas affert caussas, *incolumi dignitate, florente fama, salvis affinitatibus et amicitiis* Nulla similis enuntiationum collocatio mihi cognita est apud Tacitum. Non possum non proponere in medium, quam habeo suspicionem, Tacitum scripsisse *speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus*. Tum omnia plana sunt, et Dionis testimonium verum, etsi paululo auctum. Verbis *opibus nimiis non gaudebant* Tacit. leniter indicat, socerum in paupertate (non egestate) vixisse, certe extremis vitae annis. (C. 42. „Salarium tamen, proconsulari solitum offerri, et quibusdam a se ipso concessum, Agricolae non dedit.") At vero licet ipse opibus nimiis non gavisus sit, nonne sollicitus esse debuit de uxore et filia superstitibus? Hanc dubitationem occupaturus dicit Tac.: *speciosae contigerant filiae atque uxori superstitibus*, illi per matrimonium, quod ei cum Tacito nostro erat, huic, ut viduae, pauca, quae maritus relicturus erat, speciosa erant; vel, quod veri similius mihi videtur, per idem matrimonium speciosae ei erant opes; Tacitus haud dubie socrum sustentaturus erat, quod hic indicari modestia et verecundia non siverunt. Quae caussa mihi esse videtur, cur *filiae* voci *uxori* anteposuerit, quod videlicet filia prima animo obversata est. Quod supra c. 43. narrat, Domitianum cohaeredem scriptum esse ab Agricola, non repugnat. Namque etiam pauperes id fecerunt honoris vel rectius timoris caussa pro suis superstitibus. Vid. Suet. Aug. 66. Dom. 9. „(Inter initia) relictas sibi hereditates ab iis, quibus liberi erant, non recepit."— Ne temerarium me ducas; in textu nihil mutarim.

Corrigenda.

Pag. 2	lin. 32.	pro	esse." Enituit	lege	esse. „Enituit.
— 4.	- 29.	--	primo	---	primum.
-- 6.	- 18.	--	flagiantibus	---	flagitantibus.
-- 7.	- 26.	--	fiunt	---	fuit.
-- 12.	- 27.	--	di	---	de.
— 13.	- 23.	--	ceturiones	---	centuriones.
— 16.	- 31.	--	ultr	---	ultra.
— --	- 33.	—	rettisuerjuit	---	jure restituit.
-- 20.	- 3.	—	di	---	id.